

bisti, opus nostræ redemptionis; hoc enim omnino amorem nostrum sibi vendicat, hoc inquam, devotionem nostram blandius alligit, justius exigit, arcitius stringit, et vehementius afficit. Unde merito, l. c. concludit: Etsi cætera taceam, hoc solo non immerito sibi vendicat vitam nostram, qui pro ea posuit suam. Nemo igitur sibi vivat, sed ei, qui pro se mortuus est; cui enim justius vivam, quam ei, qui, si non moreretur, ego non viverem? S. BERN. de dilig. Deo.

Ob beneficium Vocationis ad fidem; quod sequentibus verbis proponit S. Augustinus: Magnam, inquit, aestimo beneficium, quod eo tempore, et inter tales me nasci voluit Deus, per quos ad fidem suam et Sacramenta pervenirem. Video innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod mihi gratulor esse concessum, cum quibus tanta nobis est una conditio. Unde merito infert Sanctus Antoninus: Invitatus gratiarum actionem qualitas temporis; dicitur enim tempus novi testamenti, tempus gratiæ, quia superabundavit multiplex gratia humano generi collata post Christi adventum, et ideo multiplicatis beneficiis multiplicande sunt gratiarum actiones. S. AUG. et S. ANT. l. sup. cit.

Ob beneficium Justificationis; de qua sic S. Augustinus loquitur: Bona sunt hæc tua, Domine, mihi a te misericorditer indulta, quod me in periculis sæpe constitutum clementer eripuisti, nec unquam in peccatis meis dereliquisti; oblitum tui de te admonuisti, aversum a te revocasti, venientem ad te benigne suscepisti, penitentem indulxisti. Non enim ea sola, quæ commisi, peccata, sed etiam quæ, te protegente, non commisi, totum a te dimissum deputandum est. Nam sicut in multa peccata cecidi, sic et in multo plura, nisi me conservasses, occididsem. S. AUG. in Medit. c. XII. Sed et S. Bernardus: Et miseratio fuit, inquit, quod visitavit cor meum, immutavit, ut amara ferent, quæ mihi male dulciora prius erant, qui letabar, cum male facerem. Huc etiam pertinet præservatio a peccatis, quæ, teste S. Bernardo, tribus modis contingit, occasione subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate. Multum enim in peccata occididsem, si data esset occasio, sed Dei miseratione non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulominus occididsem, graviter impulsus violentia temptationis, sed virtutem dedit Dominus Rex virtutum, ut sub me esset appe-

titus meus, et ei, quam sentiebam, concupiscentiæ minime consentirem. Sed a quibusdam tam longe me fecit miseratio tua, ut penitus abominarer ea, et ne ulla quidem eorum me tentatio molestaret.

MEDIA.

Frequenter ponderare beneficia, tam generalia, quam particularia, cum circumstantiis superius explicatis; nam, ut bene Cassiodorus ait, qui, quanta sibi gratia collata sit, nescit, quantas largitori gratias debeat, non intelligit. In quad. ep. in illud Luc. XII, 28. *Omni autem, cui multum datum est.*

Obligacionem suam ad gratias agendas bene perpendere. Ita S. Augustinus monuit his verbis: Oportet ergo, Domine, tanto magis tibi gratiosum et devotum, atque ad servandum promptiorem existere, quanto me de tantis beneficiis obligatiorem conspicio in reddenda ratione, ne dilata vindicta tanto acrius adveniendi, mala mea puniat, quanto diutius toleravit, quod puniri potuit.

Exempla creaturarum irrationalium frequenter sibi ob oculos ponere, et videre, quanto impetu ad gratias Benefactori suo referendas impelluntur, ut vel inde discamus, quanto intensiori affectu et vehementiori studio homo ratione præditus pro incomparabiliter pluribus et majoribus beneficiis gratias agere debeat.

Certa sibi pro gratitudinis officio præstando tempora determinare, ut vel sic facilius impellamur ad officium nostrum hoc in genere accuratius præstandum.

Beneficia rariora et notabiliora calamo in libello annotare; sic enim faciunt fideles servi, qui non expensum dumtaxat, sed acceptum etiam accurate in chartas referunt; quod hic tanto accuratius faciendum est, quanto magis hæc annotatio conducit ad memoriam beneficiorum, quæ, juxta S. Chrysostomum, est optima custos beneficiorum, et, ut alibi loquitur, sufficiens est, quæ ad virtutum labores nos adhortetur, et præparet, ut præsentia omnia despiciamus, et, ut ei, qui tanta in nos beneficia contulit, adheramus, amorem in illum singulis diebus augeri declarantes. In Matth. homil. et 20. hom. XXVII in Gen.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta pro quibus beneficiis agendas sint gratiæ; nam, ut bene Cicero notavit, acceptorum beneficiorum delectus habendi, et in primis quo quisque studio vel benevolentia fecerit, ponderandum est; multi enim multa faciunt temeritate quadam, sine judicio, vel modo in omnes, vel repentino quodam impetu animi, quasi vento incitati; quæ beneficia æque magna habenda non sunt, ac ea quæ cum judicio, considerate constanterque delata sunt. Lib. II Off. Agendæ autem sunt gratiæ Deo pro triplicibus bonis. 1. Pro generalibus, qualia sunt creatio, conservatio, redemptio. 2. Pro specialibus, qualia sunt vocatio ad fidem, ad religionem, ad gratiam, et gloriam. 3. Pro singularibus, quæ cuivis peculiariter ex accidenti conferuntur.

Nosse debet, etiam pro minimis beneficiis summam Deo gratias esse agendas, quæ de re loquens S. Bernardus. Discite, inquit, in referendo gratiam non esse tardus, aut segnis; discite, ad singula dona gratias agere; diligenter considera, quæ tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona, nulla gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocre, non pusilla; denique nitamur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima oblivisci beneficia. S. BERN. s. XI in Cant. Ad assiduitatem quoque S. Basilius hortatus est dicens: Sive comeditis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in Dei gloriam facite. Accumbens mensæ ora; esitans panem, largitori gratiam rependito; sufficiens, firmanque infirmas corporis vires vino, ejus faciemineris, qui hoc te dono impertivit ad inserendam cordi tuo lætitiã, et ad multiplicium infirmitatum non mediocre solamen. Et in Epistola ad Thessalonicenses, inquit: «Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite;» quem textum Theophylactus ita exponit: Quia assuevit cum Deo versari, eique gratias agere in omnibus rebus. Quomodo autem semper gratias ages? Si agnovisses hæc esse voluntatem Dei, ut sis gratus erga ipsum, ut qui semper tibi beneficit. S. Ambrosius ut nos ad hæc continuam et nunquam intermissam gratiarum actionem extimulet, sequenti

nos evidenti ratione convincit; neque enim nos unquam respirare possumus, quin ad quamlibet respirationem beneficiis Dei fruamur, et hæc beneficentiam assidam et quotidianam incessanter continuat et conservat, unde ait: Quando non habes, quod Deo debeas, aut quando sine Dei munere es? Quid enim habes, aut es, quod non accepisti? Ergo quia semper accipis, et quod habes, a Domino est, debitorem te semper esse cognosce. S. BASIL. hom. v. In Martyr. Julit. Quod ipsum etiam confirmans S. Gregorius Nyssenus: Si quod præsens est, inquit, consideraveris, per ipsum vivis; si futurum, ille tibi earum rerum, quæ sunt in expectatione, spes est; si præteritum, non esses, nisi prius ab illo factus esses; id ipsum quod natus es, beneficio afficeris, dum per illum et visis, et moveris, ut inquit Apostolus, rerum futurarum spes ex eodem beneficio pendet, tu vero solus præsentis compos es. Itaque si vel per omne vitæ tempus gratias agere Deo non intermiseris, vix præsentis gratiam explebis, cum interim nullam rationem exogitare possis, quæ futuri vel præteriti temporis debita compensentur. S. GREGOR. NYSS. orat. I in Dom. Fructum autem hujus perpetuæ gratitudinis indicavit S. Chrysostomus, dum dixit: Perpetuo Deo gratias agere debemus. Hæc sunt gravissima, quæ in Diabolum torquentur, tela, hic est iectus in Dæmonem certissimus, tunc sunt coronæ splendidissimæ. S. CHRYS. in Ps. IV.

Nosse debet, ad hoc, ut tributum laudum, et gratiarum actio Deo grata sit, specialiter requiri, ut lingue et voci cor purum et mundum conjungatur. Unde D. Chrysostomus super illa verba Psalmi: Laus ejus in Ecclesia Sanctorum, ita scribit: Vides, quomodo ante verba requirit gratiarum actionem, quæ fit per vitam et bona opera? Non sufficit enim verbis solum gratias agere, nisi etiam factorum virtus concurret; nam laus ejus in Ecclesia Sanctorum. Et in Psalmum 49 ait: Ita vivas, ut Dominus Deus tuus glorificetur, juxta illa Christi verba: «Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum.» Sit vita tua ejusmodi, ut tu laudetur et celebretur Dominus, et perfectum obtulisti sacrificium. Idem quoque in Psalm. 112, ita scribit: Oportet vitam prius recte instituentem hymnos Dei canere, non est enim pulchra laus in ore peccata-

toris; secundo, non verbis solum, sed etiam factis laudare oportet, et hanc laudem Deus maxime requirit. Idem quoque S. Docteur, Psalmistam psalmum illum ab his verbis ordiri observat: « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis; laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes Virtutes ejus; cujus hanc assignat rationem: Ideo dum præcipit laudes offerre, incipit a superioribus potestatibus, sic dicens: « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, » oportet enim ita Angelum fieri, et ita laudare. Ne ergo hanc laudem, rem esse levem existimemus, sed ante os nostrum, vita nostra ipsum sonet, atque ante linguam conversato clamet, ita enim vel trauctur Deum laudare possumus. MANSI, tr. XXX, disc. IX, 10.

Nosse debet *utilem et solidum modum Dei beneficia meditandi*, quem quidem indicat S. Bonaventura, dum ait: Scias quod triplici consideratione potes tuas meditationes variare, et dilatare, ut nunc tua quidem meditatio versetur circa ipsum benefactorem, nunc circa ipsa beneficia, quæ tibi multipliciter elargitur. S. BONAV. in *fascic.* c. VI.

Nosse debet *gradus gratitudinis*, quos quidem distincte et apposite assignavit S. Thomas, dum dixit: Primum esse, ut homo recognoscat acceptum beneficium. 2. quod, cum vi, ar. II. De quo gradu bene Seneca sic loquitur: Vis reddere beneficium? Benigne accipe retulisti gratiam. Secundum, ut laudet, et gratias agat; nam cui gratia referri non potest, quanta debetur, habenda tamen est, quantum maximam animi nostri capere possunt, ut Cicero monet, id quod saltem laudando præstatur. Lib. II de *Benef.* c. III. Tertium, ut *retribuat pro loco, et tempore*, secundum suam facultatem, id quod fit per reverentiam, honorem, obsequium, consilium, opem et subsidia, si indigeat. PHILIP. II.

Nosse debet, *circumstantias, quæ in gratitudinis exercitio specialiter observandæ sunt, illudque Deo non parum gratum efficiunt, quæ quidem ad tres præcipue revocantur.* 1. est *Sinceritas*, de qua quidem sic loquitur S. Bernardus: « Non omnis gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica et mera simplicitate procedit. Pudica sane dixerim propter eos, qui et de malis actibus suis gloriantes, Deo gratias agere solent, quasi Deus more ipsorum lætetur, cum male fecerint et exultent in rebus pessimis. Mera vero

simplicitate adunxi, propter hypocritas, qui Deum quidem de bonis suis, sed verbo tenus glorificantes, corde retinent, quod ore præbuerant. » Ser. XIII, in *Cont.* l. I, c. XV, teste Thom. Kemp. 2. Est *Liberalitas*, quæ in affectione intentione potissimum consistit, magis si quidem Deus pensat, ex quanto quis agit, quam quantum facit. Id quod etiam Seneca advertit, dum dixit: « Nec in victimis, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos, sed in pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam ferro, ac fictili religiosi sunt; mali non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo eruantur. » L. I de *Benef.* c. VI. 3. Est *Celeritas*; nam ut olim non male Ausonius cecinit:

Gratia, quæ tarda est, ingrata est: gratia namque cum fieri proparat, gratia gratia magis.

In *Epigr.*

Hinc in veteri lege holocaustum, quod offerretur pro gratiarum actione, et caro victimæ non erat in crastinum servanda. Certe Noe mox, ut ex arca egressus est, extruxit altare, Deoque sacrificium obtulit.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

DE QUALITATE. — Ex occasione illius thematici: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* (JAC. I, 16.) comparari possunt beneficia Dei cum radiis solis. Et 1. quidem dicit, quod sicut radii a sole paulatim per hemispherium sparguntur, sicque lux ab imperfecta claritate in perfectam crescit; ita Deus quoque prius imperfectiora naturæ dona largiatur, et tum demum, si bene quis illis utatur, perfectiora gratiæ et gloriæ dona offerat. 2. Quod sicut radii solis hamores de terra elevat, iterumque dissolvunt, ut terram irrigent; ita etiam beneficia Dei nos a terrenis affectionibus elevent per dilectionem Dei, iterumque per charitatem proximi descendere faciant. 3. Quod sicut radii solis varios in corporibus effectus producant, et si quidem solidum corpus inveniunt et politum, et recta linea in id descendant, copiose reflectuntur, secus vero si vel oblique dumtaxat incidant, vel tralucidum corpus reperiant; ita beneficia Dei in aliquibus vehementem calorem divinæ dilectionis producant, in aliis, qui velut aer ea facile transire sinunt, parum operentur, in aliis deni-

que omnino fetidas exhalationes ingrati animi, aliorumque vittorum causent. Excitentur proinde auditores, ut ita disponant corda sua pro radiis his excipiendis, ut meliores potius, quam deteriores effectus experire mereantur. Vide Bromiardum, v. *Gratitudo* c. IV, n. 4.

Ex occasione thematici: *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat;* (ECCLES. I, 7.) pulchre ostendi potest, 1. Quod, sicut omnia flumina exeunt a mari; ita omnia beneficia a Deo velut immenso mari omnium perfectionum oriuntur. 2. Quod, sicut flumina naturali suo impetu ad mare currunt, eique aquas ab ipso acceptas quodammodo restitunt, nec tamen mare propterea redundat; ita homines quoque accepta a Deo beneficia eidem per gratam memoriam aliaque grati animi officia refundere debeant; nec tamen propterea Deus aliquam ab illis intrinsicam perfectionem novam accipiat. 3. Quod, sicut flumina intrant in mare, ut iterum auctiora fluant; ita quoque homines Deo dona sua grato animo adscribentes novis beneficiis ab eo ex merito coguntur. Ostendatur proinde, quomodo se instar fluminum in mare Deitatis exonerare debeant, scilicet cursu vehemente, celeri, indesinente, proprietatibus hisce ad gratiarum actionem accommodatis.

Super illa verba: *Redde rationem villationis tuæ;* (LUC. XVI, 2.) dici potest fidelium servorum morem esse, ut diligenter in certo libro *acceptum et expensum* annotent, ut tanto facilius rationem suo tempore reddere possint, atque adeo hoc cuius Christiano tanto impensius faciendum, quanto severior ab illo quondam ratio exigetur. Ostendatur ergo, 1. Quid in *accepto* scribere debeat, scilicet beneficia generalia, specialia, singularia, de quibus supra dictum est. 2. Ostendatur, quid in *expenso* scribi debeat, scilicet an hæc omnia juxta Domini sui voluntatem, et pro utilitate illius, id est, majore gloria et honore sint expensa? Quæ omnia per partes fusius explicari et deduci possunt, simulque inferri, quam pauci veri et fideles servi reperiantur, cum omnes fere, quæ sua sunt, quarant, et non quæ Dei, et quæ Christi. Potest etiam dici in libri exterioris pagina et anteriore scripta esse hæc verba: « Accipe beneficium; redde servitium. » In posteriore vero scriptum esse: « Expecta premium; time supplicium. »

Possunt gradus gratitudinis fusius expli-

cari, et eorum æquitas ostendi. Et 4. quidem cur maximi astimari debeant beneficia Dei, scilicet propter altitudinem *dantis*; profunditatem, id est, humilitatem *accipientis*; latitudinem, seu multitudinem et magnitudinem *dati*; et longitudinem *durationis*, cum ab æterno fuerit in nos beneficium pro affectum, et in æternum liberalis sit futurus, et fuerit per effectum. 2. Cur laudari et prædicari debeant, scilicet ad majus Dei beneplacitum causandum; ad affectum nostrum demonstrandum; ad proximum in Dei amore inflammandum et rapiendum. 3. Cur rependere debeamus, scilicet propter meritum Dei, et nostrum, cum hoc sit altissimum instrumentum ad liberalitatem Dei excitandum et conservandam. Doceatur proinde auditores, quomodo hos gradus assequi et exercere valeant, quem in finem servire potest tota prima concio Fabri, in Dominic. 13, post Pentecost.

Potest ex occasione thematici: *redde quod debes;* (MATTH. XVI, 28) dici, plerosque homines videri similes alicui civi obærato, qui, quocumque fere se convertat, aut eat, creditorem quempiam habet obryum, atque adeo merito sollicitus esse debere, ut bene hos creditores cognoscat, eisque mature satisfaciatur. Ostendatur proinde, quinam illi sint (nempe Deus Christus, B. Virgo, S. Angelus Custos, Superiores, Parentes, Præceptores, Amici, Inimici) et quid cuique pro collatis beneficiis rependendum sit. Pro quo scopo iterum servire potest tota concio secunda Fabri, in eandem Dom. 13, post Pentecost.

DE MOTIVIS. — Potest ostendi æquitas, utilitas, dignitas (seu honestas) et facilitas gratitudinis, prout fuse id facit Faber, conc. 3. in Dom. 13, post Pentecost.

Ex occasione thematici: *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* (LUC. VI, 38) ostendi potest, 1. Qua mensura Deus nobis sua beneficia conferat, scilicet *infinita charitate et liberalitate*, ut probari potest per enarrationem et inductionem beneficiorum, præcipue creationis, redemptionis, justificationis, institutionis sanctissimi Sacramenti, vocationis ad fidem, prædestinationis; et illud Sancti Bernardi ad singula repeti, vel certe post omnia cum affectu inculcari: Amat charitas, amat immensitas, et nos vicem rependimus cum mensura? 2. Ostendatur ergo, quomodo eadem mensura remetiri gratitudinem debeamus, si scilicet

nos ipsos et omnia, quæ habemus, Dei servitio et amori consecremus, quodlibet dictorum beneficiorum eo fine usurpemus, quem Deus in illius collatione quesivit.

Ex occasione historiæ Josephi Ægyptii Prorege ostendi pulchre potest fructus et utilitas gratitudinis. Et 1. quidem institui potest comparatio inter Christum et Josephum, tum propter nomen (quod idem significat, ac augmentum); tum propter officium Salvatoris; tum propter invidiam et venditionem fratrum. 2. Ostendi potest, quam liberaliter nobis tempore necessitatis succurrerit, præcipue frumentum electorum, scilicet Corpus et Sanguinem suum offerendo. 3. Quam fideliter pretium, id est, debitum honorem, amorem, et gratitudinem ei persolvere debeamus. 4. Quomodo pretium, id est, fructum gratitudinis nostræ in saccis, id est, cordibus nostris reperiamus. Excitentur proinde auditores ad officium gratitudinis liberaliter præstandum, ut vicissim Deum erga se liberalem experiri mereantur.

Pari modo ostendi potest utilitas gratitudinis ex alio facto ejusdem Josephi, dum Ægyptiis Pharaonis subditis semen dedit ea conditione, ut quintam partem Regi darent, reliquas in sementem, et in cibum familiæ ac liberi servarent. (GEN. IV, 24.) Ostendatur ergo, 1. Quenam sit illa quinta pars, nempe gratitudo Deo debita, et quomodo Deo persolvi debeat. 2. Pariter ostendatur, quenam sint quatuor reliquæ partes, quæ de semine et messe operum nostrorum nobis relinquuntur, scilicet fructus meriti, satisfactionis, impetrationis, et gaudii spiritualis, ex beneficiis oriri soliti. Excitentur proinde auditores ad conditionem hanc, ut pote æquissimam, hilari animo acceptandam, et quanta ex quatuor his fructibus lucra spiritualia reportare possint, demonstrare.

ALII CONCEPTUS.

ÆQUITAS. — Vix hominem creaverat Deus, quando eum in Paradiso collocavit; sed quo putatis fine? Ut operaretur, et custodiret illum. Sed quæ illi cultura necessaria erat? Labor et defatigatio naturæ corruptæ est pœnalitas, ita quidem est, nihilominus a Ruperto Abbate, verba illa ad propositum nostrum explicante, responsum accipimus: Hoc est, inquit, intelligere debemus, ut

Creatori suo in laude et gratiarum actione fidelem animum gereret. Eundemque ob finem illi amenissimum plantavit deliciarum Paradisum, scilicet, ut ad majorem eum adstringeret gratitudinem. Imperavit in terra Paradisum fieri, inquit Sanctus Chrysostomus, ut productus homo in eo versaretur. Extra Paradisum formavit illum, sed mox introduxit, ut re ipsa sensu beneficiorum fruere, et ut ex aspectu et conversatione nullam perciperet voluptatem, provocareturque ad gratitudinem, intelligens, quantis sit affectus beneficiis, cum nullum adhuc boni specimen præbuisset. MANSI, *tr. xxx, dis. 1, n. 8.*

Ast quam ob causam, Deum in corporis nostri fabrica lutum, ex quo membra nostra coagulavit, tractare voluisse putatis? Memento, quod sicut lutum feceris me. Numquid alia mundior, pretiosior, pulchriorque materia illi deficiebat artificii, qui, unice verbo amplissimas extenderet cœli sphaeras? Verbo Domini cœli firmati sunt. Quin potius materia nobilis corpori competere videbatur, utpote quod animæ, ad imaginem et similitudinem ipsiusmet Creatoris formata, habitaculum esse debebat. Nihilominus dicendum est: Omnia in sapientia fecisti. Ut igitur ad nostrum deveniamus intentum, terra quæ gratitudinis est symbolum, ideo a Deo adhibita fuit ad formationem hominis, ut hic ei gratus existeret; ipsa namque experientia teste, quo magis terram industrie agricultoris manus coluerint, subegerintque, tanto uberiorem profert sementem; quodque super eam projicitur semen, non perditur, sed colligitur centuplicatum. Quapropter S. Ambrosius ita discursum suum ad quemdam dirigit ingratus dicens: Herba generi respondet suo, tu non respondes tuo generi? Tritici granum sparsum terræ, generis sui gratiam reddit, tu degeneras? Qui idem Sanctus in alio quodam loco scripsit: Imitanda nobis est natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatori solet numero reddere, quam accepit. *ib. n. 9.*

S. Augustinus animam humanam a supremo datore hoc fine ad imaginem et similitudinem suam creatam esse dicit, ut factorem suum pro imagine cognoscat, et pro similitudine diligat. Unde ubi Vulgata nostra legit: « Factus est homo in animam viventem; » in Hebræo legitur: « in animam loquentem. » Oportet namque Creator, ut anima subito, post tam sublime *Esse* rece-

ptum, linguam suam in gratias referendas adhiberet; at vero, quia anima hoc multis titulis debitum solvere neglexit, Deus illam in hoc miseriarum barathrum cadere permisit, in quod simul universam humanam progeniem egit præcipitem. Unde S. Antoninus ait: Primi parentes, quia repleti omnibus bonis naturalibus, et spiritualibus omnium virtutum, et temporalibus, ingrati fuerunt Deo, adherentes adversario ejus, mandatum transgredientes, omnibus virtutibus expoliati sunt. S. AUG. *1. de Spiritu et Anima.*

Primam, quam Spiritus Sanctus per Moysen calamum in Scriptura Sacra de suprema Altissimi majestate notitiam fecit, sequens fuisse perhibetur: « In principio creavit Deus cœlum et terram; » pro quorum verborum intelligentia, differentiam, que inter hæc duo nomina (*Dominus et Deus*) versatur, a Philone Hebræo discamus oportet, inquit: Dominus et Deus indicant potentias; *Dominus* eam, qua imperat, *Deus* eam, qua est beneficium. Quam ob rem et sacer Moyses in toto mundi officio nomen Dei assumit. Ubi et idem auctor, quantum Dei nomen beneficentia sit expressivum, latius docet: Id quod etiam ipsi gentiles agnovērunt, qui Jovi, omnis profanæ Deitatis originis, hoc attribuerunt nomen: Jupiter, *a juvenando*. Jam hæc voces, *Deus æternus*, idem valent, ne si dicat: Non, qui aliquando largitur, aliquando non, sed semper et continuo, qui sine intermissione bene facit, qui nullam occasionem beneficiendi sinit præterfluere. MANSI, *ib. n. 2.*

Deus B. Mechildi quondam dixit: Bonum est homini, ut sæpe recogitet, quam bene de ipso cogitaverim, quamque amanter illum respexerim, etiam cum in peccatis jaceret, et quam benigne mala ejus in bonum converterim. LUDOVIC. BLOSTUS. Quod beneficium Sanctus Augustinus ponderans exclamat: Quoties me jam absorberat ille Draco, et tu, Domine, ab ore ejus extraxisti me? Quoties enim peccavi, et ipse paratus fuit deglutire me? Sed tu, Domine Deus meus, defendisti me. Descendi usque ad portam inferni, et ne illic intrarem, tu me tenuisti. Sciebas tu quidem, Domine, quia, si tunc mors me occupasset, infernus animam meam suscepisset, et perpetuo damnatus fuisset, sed tua misericordia et tua gratia prævenit me, eripiens me de morte corporis, et de morte animæ. Et iterum: Et

ego te irritavi, ego malum coram te feci, furor tuum provocavi, iram promerui, peccavi, et passus es, deliqui, et adhuc sustines. Si peniteo, parcis; si revertor, me suscipis; si differo, præstolaris; revocas errantem, vincis repugnantem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mulces morientem, a ruina suscitans, post lapsum reparas, peccati largiris, querenti inveniris, pulsanti aperis. S. AUG. in *Soliloq. c. xviii.* Id ipsum vero confirmans S. Antoninus inquit: Tanto misericordia est gratior, quanto poena est proximior, ad quam paratur; si enim suspendendus jam laqueum haberet in collo, majus beneficium putaret, si tunc liberaretur. Unde debet cogitare, si quando fuit in periculo mortis, dum in statu erat damnationis, et quo visisset, si in illo statu decessisset, et quid promeruit apud Deum, ut Deus illi pepercit. Faniibus peccatorum suorum constringitur impius, quibus scilicet suspendatur in inferno. Unde Ezechias: Tu autem eruisi animam meam, ut non periret, projecti post tergum tuum omnia peccata mea. S. ANTONIN. p. IV, t. V, c. xiii. Merito ergo idem S. Augustinus pergit: Cui gratias referre debeo, quod non secundum iniquitates meas retribuisti mihi, quod me terra non absorbit, non me cœlum fulminavit, non me fulgur combussit, non flumina submerserunt, nec alia poena, vel morte, prout dignus eram, me afflixisti? Cum enim peccando a te recederem, non solum Dominum ipsum exacerbarem, sed totam ejus familiam justissime irritarem. S. AUG. in *Med. c. xii.*

Oro, ne desides simus, inquit S. Chrysostomus, sed unusquisque pro virili supputet apud se singulis horis non solum communia beneficia, sed et privata in se collata; non ea tantum, quæ omnes fatentur, et quæ omnibus manifesta, sed et propria et pleerosque latentia; sic enim ad continuam gratiarum actionem Domino referendam incitabitur. Hoc maximum sacrificium, hæc perfecta oblatio est. S. CHRYS. *hom. in x, Gen.*

Magnam est etiam et hoc nomine, quod multa mihi, antequam petere possem, vel velle, aut nossem, dona contulisti. Non solum ante, sed et postquam senui, et potui te petere, te querere, te desiderare, tibi inhære, gratuita bonitate tua, non petenti, non querenti, non desideranti, immo etiam parvi pendenti, vel etiam contemnti, largitus est. S. AUG. *l. citato.*

gionem colentes, nisi qui meritam Diis gratiam justis honoribus memori mente persolvunt? Est igitur gratitudo laudatissima virtutum omnium, res Deo atque hominibus grata atque jucunda, gratique nominis. Orat. pro Cn. Plancio.

UTILITAS. — Cum exploratores terræ Chanaan in civitate Jericho a Raab meretricie abseconsi dimitterentur, illaque hujus beneficii vicissitudinem ab illis reposeret, dixerunt illi: Innoxii erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos, si ingredientibus nobis terram, signum non fuerit funiculus iste coccineus, et non ligaveris eum in fenestra, per quam dimisisti nos. Ubi notandum, quod in eadem fenestra, per quam dimissi fuerant, jusserint funiculum appendi, ut beneficii memores essent. STAPLET. th. 1, in Dom. 12. post Pent.

Deus jussit virgam Aaronis et duas tabulas Moysis in Arca reponi, ut per illorum aspectum, acceptorum beneficiorum memoria refricaretur. Ibid.

Eva, quia pro nato filio grata fuit, et prius beneficium agnovit, assecuta est et aliud. Talis enim est Dominus noster, quando in primis gratitudinem declaramus, et benefactorem agnoscimus, largius sua dona nobis erogat. S. CURYS. in Gen.

M. Joannes Avila dicere solebat, plus valere in doloribus et ærumnis unum Deo gratias, quam sex millia in prosperitate. DREX. in Prodom. c. II, §. 47.

Æsopus narrat, mures quondam in leonem dormientem insilisse, qui, cum evigilans unum apprehendisset, rogavit ille, ut parceret, fieri enim posse, ut sua ipsi opera et auxilium opportunum foret. Quod cum fecisset leo, contigit, ut in laqueus incideret, et rugito suo opem peteret; quo clamore excitus, dimissus prius musculus accurril, et corrosio laqueo leonem liberavit. Merito ergo omnibus benefacere studeamus, quia ignoramus, an non et nos alterius opem necessariam habituri, adeoque grati animi vicissitudinem simus desideraturi. ÆSOPUS.

AXIOMATA.

Gratia gratiam parit.

Invitat ad magna, qui grantanter suscipit modica. Florileg.

Optima beneficiorum custos memoria, et confessio. CASSTOD.

Qui grate beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit. SEN. l. I de Benef.

Gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel. Idem, l. V de Benef. Nemo referre gratiam scit, nisi sapiens. Idem, ep. 1, l. II.

Pœnitet accepti beneficii, quem nondum redditum non piget. Idem, l. VI de Benef.

Animus, non res, facit gratum, aut ingratum.

Si desint vires, tamen est laudanda voluntas, Hac ergo contentos auguror esse Deos.

ORVIDUS.

Non est dignus dandis, qui non est gratus datis.

AUCTORES.

Jacobus Alvarez, de Adept. virtutum l. III p. II, §. 7.

Ludovicus Granatensis, in Duce Peccatorum l. I, c. II, et seq.

Bernardinus Rosignolus, l. IV c. xxv, de Disciplina.

Lucas Pinellus, l. III de Perfect. c. IV.

Petrus Sanchez, in Regno Dei p. VI c. v.

Vicidarius Busei. v. Gratitudo.

Thomas à Kempis, l. II de Imit.

Josephus Mansi, tr. xxx. dist. Bibl. mor.

G U L A,

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est inordinatus appetitus alimenti; id est, si aliter cibus aut potus usurpetur, quam ipsa nature sustentatio requirit.

DIVISIO. — Dividitur in eam, quæ in cibo, et eam, quæ in potu sumendo excedit; et hæc quidem, si usque ad rationis privationem peringat, ebrietatis nomen sortita est; secus vero, ad gulam plerumque revocatur.

ACTUS. — Primus est, ante tempus comedere aut bibere; ut Jonathas, Saulis filius, ignarus præcepti e patre editi, mel ante tempus gustavit, ideoque audivit a patre: Morte morieris, Jonathas. I. REG. XIV, 44.

Nimis lautos et delicatos cibos, aut potum appetere; quo modo populus Israeliticus manna fastidians, et ad ollas Ægyptiacas aspirans peccavit. EXOD. XVI, 3.

Nimium comedere, aut bibere; quemad-

modum Sodomitæ, de quibus Ezechiel dixit: Ecce hæc fuit iniquitas Sodome sororis tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia. EZECH. XVI, 49.

Nimis ardentè alimentum appetere; ut Esau pro pulmento primogenita vendens, parvique pendens, quod ea vendidisset. GEN. XXV, 34.

Studiosè nimis præparatum alimentum expetere; ut filii Heli, qui non contenti parte Sacerdoti offerri solita, etiam adipem Deo offerri solitum rapiebant.

EX S. SCRIPTURA.

FUGA. — Non in comessionibus et ebrietatibus etc. sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. ROM. XIII, 14.

Noli avidus esse in omni epulatione, non te effundas super omnem escam. ECCL. XXXVII, 32.

Operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. JOAN. XXVII.

DAMNUM. — Anima saturata calcabit favum (orationis) et carnis curam ne feceritis in desideriis. ROM. XIII, 14.

Noli avidus esse in omni epulatione, non te effundas super omnem escam. ECCL. XXXVII, 32.

Operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. JOAN. XXVII.

DAMNUM. — Anima saturata calcabit favum (orationis) et carnis curam ne feceritis in desideriis. ROM. XIII, 14.

Noli avidus esse in omni epulatione, non te effundas super omnem escam. ECCL. XXXVII, 32.

Operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. JOAN. XXVII.

DAMNUM. — Anima saturata calcabit favum (orationis) et carnis curam ne feceritis in desideriis. ROM. XIII, 14.

Noli avidus esse in omni epulatione, non te effundas super omnem escam. ECCL. XXXVII, 32.

Operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. JOAN. XXVII.

DAMNUM. — Anima saturata calcabit favum (orationis) et carnis curam ne feceritis in desideriis. ROM. XIII, 14.

bore autumnales, infructuose, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sidera errantia; quibus procella tenebrarum servata est in æternum JUDÆ. XII.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Male dominæ servitur Gula, quæ semper expetit, numquam expletur. Quid enim insatiabilis ventre? Hodie suscipit, cras exigit; cum impletus fuerit, disputatur de continentia; cum digesserit, vale virtutibus dicitur. S. AMBR. s. de Jej.

Non cibus, sed appetitus in vitio est; unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientia degustamus. S. GREG., t. XXX Mor.

Pene semper epulas comitatur voluptas; nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Id. lib. I Mor.

Gula est, solius corporis causa, illecebrosus et avidus ciborum appetitus. Hugo, in suo Claustro.

Gula est vorax edacitas naseantem stomacho applaudens, naturalibus finibus non contenta. Ibid.

Solent diis templa construi, altaria erigi, ministri ad faciendum ordinari, immolari pœudes, thura concremari; deo sigillatim ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolata pœudes coctæ carnes, fumus incensorum odor saporum. Ibid.

FUGA. — Sit vilis et vespertinus cibus, olera et legumina, interdumque pisciculus pro summis deliciis duæas. Qui Christum desiderat, et illo pane vescitur, non querit magnopere, quam pretiosis de cibis stercus efficiat. S. HIER. in ep. ad Paulam.

Nemo potest virtutum perfectionem attingere, nisi prius ventris edomemerit ingulviem. S. ISID., l. I, c. XII.

Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam Veneris concupiscentiam carnis incentiva venerit. S. GREG. I. XXX. Mor.

Ventrem accepisti, ut nutrias, non distendas; ut illi domineris, non ut dominum habeas; ut tibi inservias ad ceteras partes alendas, non ut tu illi inservias, non ut fines